

libidinem alia remedia præsto sunt, nec licet personæ sævire in seipsam. Sed si agatur de eo qui jam sacerdos est, jus bonæ fidei illius aliquantisper parcit, et concedit facultatem Episcopo eundem admittendi per dispensationem ad officia sacerdotalia exercenda, excluso tamen altaris ministerio *c. 4. h. t.*

## TITULUS XXI.

## De bigamis non ordinandis.

1. Ecclesia, quæ sine macula est, in electione suorum ministrorum non solum a defectu corporis et natalium abhorret, sed etiam declinat defectus illos qui oriuntur ex inspectione qualitatum et relationum supernaturalium, quæ in homine per sacramenta producuntur. Hinc cum matrimonium christianum institutum sit ad significandam unionem Christi cum Ecclesia effectam per Verbi Divini incarnationem, nisi adsit in matrimonio plena hæc significatio, defectus in eodem adesse censetur. Quare bigamia quæ unitati conjunctionis Christi cum Ecclesia aliquomodo adversatur, constituit defectum in persona, qui dicitur defectus significationis seu sacramenti. Quare bigamia gignit speciem irregularitatis ex defectu, et appellatur irregularitas ex defectu sacramenti. Nec officit dari bigamiæ speciem, quæ ex facto illicito procedit, scilicet cum clericus in majoribus ordinibus constitutus attentet et consummet matrimonium; nam, quemadmodum Pontifex adnotat in *c. 5. h. t.* bigamia non sub respectu criminis, sed potius sub respectu defectus impedimentum creat ad ordines.

2. Bigamia vi nominis non est aliud quam successiva reiteratio matrimonii, et bigamus est vir bini conjugii. Dicitur vero 'successiva iteratio' ut a poligamia distinguatur, quæ lege evangelica absolute proscribitur. Bigamia in *veram* distinguitur, *interpretativam* et *similitudinariam*. Vere et proprie dictus bigamus ille est, qui cum duabus mulieribus successive validum contraxit matrimonium, ac cum utraque consummavit. Ratum matrimonium non sufficit *c. 5. h. t.* Pariter matrimonium debet esse validum. Hinc qui eodem tempore plures retinet mulieres cum quibus matrimonii contractum ausus est celebrare, vere bigamus non est. Indifferens autem est sive quis duas uxores successive habuerit post baptismum, sive ante baptismum, sive unam ante et unam post baptismum habuerit. Bigamia enim semper locum habet *cann. 2.*

et *3. dist. 26.* Et ratio est, quia, quemadmodum s. Augustinus in *cit. can. 2.* innuit, per baptismum remittuntur quidem peccata, non tollitur autem defectus sacramenti seu significationis, qui sequitur ex duplici matrimonio in infidelitate contracto et consummato. Nec obstat, matrimonium in infidelitate contractum non esse sacramentum. Nam semper verum est in secundo matrimonio contracto et consummato deficere rationem significationis, quæ aliquo modo est etiam in matrimonio legitimo infidelium.

3. Interpretativa bigamia, quæ fictione juris innititur, tunc obtinet cum quis reapse cum duabus non contraxit, sed interpretatione juris censetur contraxisse. Bigamus nempe interpretative dicitur 1º. qui matrimonium contraxit et consummavit cum vidua a priore viro suo carnaliter cognita, vel cum muliere ab alio corrupta. *can. 'Maritum' dist. 33. et can. 'Si cujus' dist. 34.* — 2º. Qui duo matrimonia invalida, aut unum validum et aliud invalidum contraxit et consummavit; *arg. c. 4. h. t.* Et ratio est: quia licet hic vere bigamus non sit, propter defectum sacramenti, eo quod saltem unum matrimonium fuit invalidum; tamen bigamus est per affectum intentionis cum opere subsecuto. Scilicet quantum in se fuit duo matrimonia voluit contrahere et consummare. — 3º. Tandem qui cum uxore sua ab alio per adulterium cognita maritali consuetudine vivit; idest scienter habet cum ea copulam carnalem; *cit. can. 'Si cujus' et 'Si laici' dist. 34.*

4. Tandem similitudinaria bigamia inducta est in similitudinem iterati conjugii, et locum habet cum aliquis vel obligatus voto solemni castitatis, vel constitutus in aliquo ordine majore attentat et consummat matrimonium.

5. Quod bigamia vera irregularitatem pariat ad ordines patet primo ex Apostolo Paulo *1. Tim. 3.* qui ait 'oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum', et inferius 'Diaconi sint unius uxoris viri'. Quibus in verbis Paulus voluit excludere bigamiam, non vero polygamiam. Nam polygamia seu pluralitas simultanea uxorum lege evangelica Matth. 19. prohibebatur non ministris sacris tantum, sed et ipsis fidelibus; ita ut non potuisset accenseri inter fideles qui Christi legem observabant illi qui simul plures retinebant uxores. Cum ergo aliquid amplius pro sacris ministris requisivit Paulus, quam pro simpliciter fidelibus, dicendum est ipsum exclusisse a sacris ministeriis qui plures habuerant successive uxores. Sensus hujusmodi confirmatur ex *vers. 9. cap. 5.*

ejusd. epist. ubi agens Paulus de viduis eligendis ad ministerium in ecclesia, scribit 'Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor'. Ex sacris autem canonibus habemus *c. 1. 2. et 3. h. t.* In *c. 2.* non solum bigamis ordinum susceptio interdicitur, sed etiam prohibetur susceptorum ordinum administratio. Præterea adduci possunt *can. 2. dist. 33. et can. 1. dist. 34.* Porro bigamia sive ante sive post baptismum locum habuerit, semper irregularitatem gignit. Nam, uti vidimus, bigamus est etiam ille qui sive duas habuit uxores ante baptismum, sive unam ante et aliam post baptismum. Concordat *can. 'Si quis' 13. dist. 34.* ubi Innocentius scribit 'in baptismo crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur, et quemadmodum filii geniti ante baptismum pro veris filiis habentur, ita et uxor pro vera habetur uxore'.

6. Sed et bigamia interpretativa irregularitatem inducit. Triplex autem est, uti vidimus, bigamiæ interpretativæ species. Quoad primam speciem probant *can. 2. dist. 33. can. 13. dist. 34. cann. 9. 10. et 15. dist. 34. et can. 8. dist. 50.* De secunda specie bigamiæ et ejus effectu loquitur *c. 4. h. t.* cui adjiciendi sunt *cann. 11. et 12. dist. 34.* quibus in canonibus sermo est etiam de tertia specie, idest de viro qui affectu et consuetudine maritali cohabitatur cum uxore sua adultera. Sed quæri potest curnam inducta sit hæc interpretativa bigamia tamquam impedimentum ad ordines, et quonam principio innitatur defectus ex quo enascitur irregularitas. In *c. 5. h. t.* res tota exponitur. Quæstio proponebatur Innoc. III. utrum esset bigamus vir ille qui contraxit et consummavit matrimonium cum vidua, quæ cum alio viro contraxerat jam matrimonium, sed illud non consummaverat. Innocentius respondet bigamum non esse. Ita autem ratiocinatur. Verba protoplasti 'hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea etc.' non nisi matrimonio consummato applicari possunt; quod matrimonium revera repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem Verbi. Hæc vero unio tunc perfecte repræsentatur per matrimonium ratum et consummatum, quando celebratur inter unum et unicam unici, idest inter virum et virginem mulierem. Defectus autem hujus perfectæ repræsentationis locum habet, quoties vir vel viduam a priore viro suo cognitam, vel mulierem ab alio corruptam ducit et cognoscit. Nam hoc in casu mulier carnem suam divisit in plures, nec verificatur quod mulier sit os de ossibus et caro de

carne viri sui. Ergo divisio carnis ex parte mulieris in plures viros in matrimonio, sive extra matrimonium, ratio est, cur vir, qui eam ducit, sit bigamus; ejus enim conjugium non refert imaginem perfectam typi, idest unionis Christi cum Ecclesia.

7. At adhuc explicatione indiget caput 5. Videtur enim Innocentius sacramenti rationem non tribuere matrimonio rato. Nam in matrimonio duo distinguit: consensum scilicet animorum et corporum commixtionem, et primum docet repræsentare charitatem quæ consistit in spiritu inter Deum et animam justam, alteram vero significare unionem Christi cum ecclesia. Ex quo concludit matrimonium tantummodo ratum non pertinere ad illud designandum conjugium, quod per incarnationis mysterium inter Christum et Ecclesiam contractum est. Cum vero ratio sacramenti in matrimonio christiano in eo sita sit, ut repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, videtur Innocentius negare matrimonium solummodo ratum esse sacramentum. — Ut hanc difficultatem diluamus animadvertimus matrimonium institutum esse et natura sua dirigi ad generis humani propagationem. Quare de lege generali ideo contrahitur ut consummetur. Hinc matrimonium consummatum habet aliquid aliud, quod non habet matrimonium ratum; idest in genere suo dici potest perfectius matrimonio rato. Ergo etiam in ratione significationis, matrimonium consummatum dici potest perfectiori modo repræsentare unionem Christi cum Ecclesia. At hoc non impedit quominus etiam matrimonium ratum eandem unionem significet. Nam in matrimonio rato traditur mutuum jus in corpora, quæ traditio juris cum irrevocabiliter fiat, et virum sponsæ et viceversa obligationis vinculo jungat, utique significare potest unionem illam perpetuæ charitatis et spiritualis conjugii quæ est inter Christum et Ecclesiam. Et hinc matrimonium ratum sacramenti rationem retinet. At hæc unio melius significatur per matrimonium ratum et consummatum. In eo enim vir et uxor una caro fiunt, et de eo prout de conjugio perfecto in genere suo plene verificatur sententia Redemptoris 'quod Deus conjunxit homo non separet'. Hinc Innocentius cum loquitur de impedimento irregularitatis ex defectu significationis, consideravit solummodo matrimonium ratum et consummatum, ceu illud quod perfectam exhibet repræsentationem et imaginem unionis realis Christi cum Ecclesia, at non negat dari posse minus perfectam, sufficientem tamen repræsentationem in matrimonio solummodo rato. Neque difficultatem

facit comparatio instituta ab Innocentio inter matrimonium ratum et unionem spiritualem inter Deum et animam justam. Nam Pontifex hac imagine utitur ad exprimendam aliquo modo naturam vinculi spiritualis, quod ex mutuo consensu contrahentium exoritur in ordine ad eorundem amorem mutuam. Scilicet vult excludere a matrimonii contractu amorem mere naturalem. Præterea Innocentius prædictam similitudinem eo scopo proponit ut indicet indissolubilitatem propriam matrimonii rati non ejusdem esse virtutis ac est indissolubilitas matrimonii rati et consummati. At non inde sequitur Innocentium exclusisse a matrimonio tantummodo rato rationem Sacramenti. Nam conjunctio spiritualis inter Deum et animam justam est participatio amoris supernaturalis qui ex redemptione promanat; et per consequens etiam ipse contractus matrimonii in christiana societate aliquo sufficienti modo repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, quæ unio per redemptionem facta est. Cæterum ipse Innocentius in *c. 2. de Transl. Episc.* matrimonii rati indissolubilitatem profitetur ita ut non nisi auctoritate divina Petro communicata illud dissolvi possit. Porro ratio indissolubilitatis et ratio sacramenti in matrimonio christiano, teste ipso Innocentio in *cap. Quanto 7. de Divortis*, pari gradu procedunt. Ergo Innocentius in *cap. 5. h. t.* matrimonio rato non denegavit rationem sacramenti, sed solum ad constituendam bigamiam assumpsit matrimonium consummatum quod perfectissime refert imaginem unionis Christi cum Ecclesia.

8. De similitudinaria bigamia adest species in *c. ult. h. t.* ubi cum Subdiaconus matrimonium attentasset, et consummasset, Innocentius respondit bigamum esse Subdiaconum non propter defectum significationis, quia revera matrimonium non contraxit, sed propter affectum; idest propter intentionem qua ligatus vinculo spirituali, conatus est carnale vinculum contrahere et ausus est opere explere. Concordat *c. 4. h. t.*

9. Quæritur an dari possit dispensatio in defectu bigamiæ. Quæstio principaliter proponitur de bigamia vera, quæ ex Apostoli præcepto, ceu adnotat summ. Pontifex in *cap. 2. h. t.* constituit impedimentum ad ordines præsertim majores suscipiendos. Affirmativa sententiâ tenenda est. Nam in sacris canonibus hujusmodi irregularitas juris ecclesiastici esse censetur. Præceptum vero Apostoli non inducit jus divinum, sed solummodo jus ecclesiasticum; est enim præceptum ex genere illorum præceptorum, quæ Apostoli

ceu rectores Ecclesiam jubebant pro ordinato decentique gubernio rerum spiritualium; quæque præcepta potestati Ecclesiæ subjiciuntur. Hæc conclusio confirmatur ex eodem loco Apostoli. Ibidem enim excludit percussores, et tamen ex dispensatione admittuntur ad ordines *cap. penult. et ult. De Cleric. percuss.*

10. Quæritur quinam dispensare possit ab irregularitate orta ex bigamia. Summus Pontifex in bigamia cujusvis speciei potest dispensare. Episcopi vero non possunt dispensare in bigamia vera et in interpretativa *cap. 2. et 4. h. t.* Hæc vero dispensatio ab Episcopis auctoritate propria dari non potest nec ad ordines minores, nec ad beneficium simplex consequendum. Nam de Episcopis in *can. 59. dist. 50.* expresse dicitur 'non confidat quisque Pontificum bigamos divinis servituros applicare officiis', et in *cap. un. h. t. in 6.* et in *sess. 25. cap. 17. de Ref.* in Tridentino bigamis non permittitur ministrare in minoribus Ordinibus. Cum igitur ex una parte in jure communi prohibita sit promotio illius qui vere aut interpretative bigamus est, ac ex altera parte nulla reperitur data Episcopis dispensandi facultas, sequitur eosdem non posse dispensare in utraque specie bigamiæ. Hæc conclusio firmatur ex resolutione *s. Cong. Conc. in Lancianen.* diei 21. Maji an. 1644. relata in *Lib. Decretor. 17. pag. 821.* — Hæc de irregularitate vera et interpretativa. Si vero sermo sit de bigamia similitudinaria, quæ cum alio impedimento non jungatur, si clericus irregularis longam pœnitentiam egerit, juxta *cap. 4. de Cleric. conjug.* potest ab Episcopo dispensari ut in ordine suo ministret. Immo si post peractam pœnitentiam perfectæ vitæ et conversionis argumenta præbuerit, potest juxta *cap. 1. Qui Clerici vel Nov.* ad superiores ordines dispensatione Episcopi promoveri. Exceptio autem datur quoad bigamiam similitudinariam quæ admixtam habeat interpretativam; idest si Clericus in majoribus ordinibus constitutus matrimonium attentat et consummat cum vidua vel cum muliere ab alio viro corrupta. Hoc enim in casu Episcopus dispensandi facultatem non habet. Expresse enim dispositione juris communis prohibetur hujusmodi dispensatio *c. ult. h. t.*

11. Pœna contra spernentes irregularitatem ex bigamia est ut ordinantes privati sint potestate ordinandi in posterum, ordinati vero arceantur ab usu et administratione ordinum susceptorum *cap. 2. et 4. h. t.* Sed et contra bigamos adest pœna specialis indicta *c. un. h. t. in 6.* Ibi enim hæc verba leguntur 'bigamos omni

privilegio clericali declaramus esse nudatos: coërcitioni fori sæcularis addictos . . . . Ipsi quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram et habitum clericalem'. Ut hæc verba intelligantur sciendum est ex *cap. un. De Clericis conjug. in 6.* clericum in minoribus ordinibus constitutum si cum unica et virgine contraxerit, et habitum ac tonsuram deferat, gaudere privilegiis clericalibus fori et canonis. Hujusmodi dispositioni inhærens Concilium Tridentinum in *sess. 23. de Ref. cap. 17.* in fine statuit ut si deficient clerici cælibes pro ministeriis exercendis ordinum minorum possint suffici etiam conjugati, dummodo isti bigami non sint, et tonsuram ac habitum clericalem gestantes Ecclesiæ alicui de mandato Episcopi inserviant. Quo posito si Clericus in minoribus constitutus fiat bigamus, ipso facto, idest per pœnam latæ sententiæ, spoliatur privilegiis fori et canonis, nec non sub pœna anathematis prohibetur deferre habitum et tonsuram. Nec ergo poterit Ecclesiis inservire in minorum Ordinum officiis.

Quod si vero Clericus in majoribus Ordinibus constitutus matrimonium attentet ac retineat mulierem tanquam uxorem, privilegia clericalis ordinis non amittit. Hæc nempe privilegia retinet quoadusque deferre habitum potest; quod ei conceditur quoadusque non degradatur; sed cogendus est ad mulierem illam dimittendam, adhibitis etiam pœnis contra clericos concubinarios statutis. Sed de hac re inferius in Lib. III.

#### TITULUS XXII.

### De Clericis peregrinis.

1. Adest in Lib. 2. titulus de Clericis peregrinantibus. Verum titulus hujusmodi respicit clericos e propria Diœcesi exeuntes in ordine ad causas judiciales tractandas; dum titulus noster considerat Clericos peregrinos relate ad ordines suscipiendos, vel ad exercitium ordinum jam susceptorum. Clericus peregrinus in sensu tituli est ille qui extraneus est a Diœcesi et vagus est vel ignotus.

2. Si quærat utrum liceat Clericum peregrinum ad altiores ordines promovere; respondendum est negative. Nam certum in jure est ordines esse conferendos a proprio Episcopo, vel de ejus licentia; prout tradit *c. ult. h. t.* et fusius expositum est in *tit. De tempor. Ordin. et Qualit. Ordin.*

3. Quid vero dicendum de usu et exercitio ordinum quos peregrinus asserat se recepisse? Cum non semel Clerici pere-

grini jactent se aliquos recepisse ordines quos non susceperunt vel sint innodati aliqua censura aut sint aliqua irregularitate affecti, ad præcavendos abusus statutum est Clericos peregrinos non posse admitti præsertim ad publicum ordinum exercitium nisi Episcopi proprii litteras afferant commendatitias. Ita *Trid. sess. 23. cap. 16. de Ref. et c. 3. h. t.* Porro litteræ commendatitiæ, seu testimoniales litteræ continent attestationem Episcopi de ordine suscepto deque exemptione Clerici ab omni irregularitate et censura. Litteræ hujusmodi quæ formatæ antiquitus dicebantur, cum ageretur de Clericis transmarinis, quinque episcoporum sigillis munitæ esse debebant *c. 1. h. t.* Modo vero ab usu recessit rigor hujusmodi, et satis est, si in forma authentica testimonium afferatur proprii ordinarii. Ex cit. autem loco Tridentini lex generalis eruitur ut absque commendatitiis litteris proprii ordinarii nullus Clericus peregrinus ab aliquo Episcopo admittatur ad divina celebranda et Sacramenta administranda. Ex quo patet defectum litterarum commendatitiarum generaliter non posse suppleri per aliud medium probationis; nec per jusjurandum Clerici ipsius *c. 2. h. t.* Quod si vero Clericus testimoniales litteras habuerit, sed casu vel per injuriam belli aut latronum amiserit, tunc per testes probare poterit existentiam earum. Testes autem confiteri debent se vidisse litteras amissas, et Clericum sine malitia eas amisisse. Quod si nec testes adsint, per aliud idoneum medium poterit suppleri probatio *c. 2. h. t.* ex gr. per famam communem conjunctam cum bona conversatione seu cum testimonio bonæ vitæ clerici. Peculiaris vero est dispositio *c. 3. h. t.* Pontifex enim cum necessitatem litterarum testimonialium inculcet, aut alterius sufficientis probationis, ait, eum qui his caret, non esse admittendum, si presbyter sit, ad Missæ celebrationem in publico, posse autem admitti ad celebrandum in privato sacello si id postulet solum ex devotione peragere. Ratio est quia cum nemo præsumatur malus nisi probetur, cumque Clericus petat celebrare ob motivum pietatis tantum, seclusa qualibet spe lucri, et mali ambitus affectu, præsumitur clericus nolle decipere. — Porro necessitas præstandi litteras testimoniales urget etiam Regulares. Nulli enim regulari Sacerdoti concedenda est facultas Missam celebrandi nisi habeat documenta in quibus ipsius Superior testetur sacerdotium ab eo susceptum nullaque censura irretitum aut affectum esse irregularitate. Ita *S. Congr. S. Offic.* in encyclicis litteris diei

26. Jan. an. 1692. in quibus Episcopi, Vicarii Generales et Foranei admonentur ne etc.

4. Quod si quæstio exoriat super veracitate vel authentia epistolarum testimonialium, iudicium ab Episcopo est exposcendum. Hinc in Diocesis bene ordinatis non admittitur ad celebranda divina mysteria Clericus ignotus, nisi prius ejus litteræ testimoniales recognitæ fuerint ab episcopali Curia. Quod verificatur etiam de Regularium ecclesiis intra Diocesis limites existentibus. In quibus potest prohibere Episcopus ne incogniti sacerdotes sæculares admittantur ad S. Sacrificii celebrationem, nisi eorum litteræ testimoniales fuerint recognitæ et approbatæ a Curia episcopali. *S. Cong. Conc.* die 17. Nov. 1594. *Cfr. Instit. XXXIV. Benedicti XIV.*

5. Litteras vero testimoniales Clericis ex justa causa petentibus Episcopi denegare non possunt, ceu etiam respondisse constat *s. Congr. Conc. in causa Signensi* 13. Septemb. 1749. Nec obstat Clericos promississe Episcopo proprio obedientiam, nam subjectio sacerdotum Episcopo non adeo adstringit eosdem ut amittant omnino propriam voluntatem, quemadmodum contingit in Regularibus, qui votum obedientiæ nuncupantes, in jure censentur non habere 'nec velle nec nolle'. Quare debet adesse ratio legitima ut Episcopus litteras testimoniales seu formatas deneget Clerico suo. Quæ ratio ex. gr. potest esse si Clericus in Diocesi possideat beneficium residentiale, si assumpserit obligationes in re spiritali, quas non adimpleverit, si ordinatus fuerit Clericus propter necessitatem alicujus Ecclesiæ. *S. Congr. in Amerina* 8. Maj. 1756. et alia hujusmodi.

#### TITULUS XXIII.

### De officio Archidiaconi.

1. In Lib. 1. agitur de personis quæ sacram ecclesiasticam hierarchiam constituunt. Postquam actum est de modis quibus personæ hujusmodi in statu suo juridico coram Ecclesia constituuntur, et postquam actum est de qualitatibus sive positivis sive negativis personarum, quæ ad ecclesiasticam hierarchiam assumuntur, nunc de officio agendum est istarum personarum. Ut materia tituli et titulorum sequentium intelligatur, sunt præmittendæ quædam notiones generales.

2. Ex ecclesiastica institutione inductum est ut in Ecclesia præsertim Cathedrali, quæ habita est uti mater aliarum ecclesiarum

Dioceseos, haberentur plures gradus personarum, ita ut personæ quo magis appropinquarent Episcopo, eo magis de ejus honore, jurisdictione et administratione participarent. Clerici in ecclesia Cathedrali inservientes ab Ecclesia ipsa congruam sustentationem obtinere debebant sive ex præbendis peculiaribus sive ex adsignatis portionibus fructuum bonorum Ecclesiæ. Porro inductum est, ut istis vel præbendis vel portionibus in Ecclesiis Cathedralibus adfixa esset dignitas, administratio, jurisdictio, uno verbo adfixæ essent qualitates ob quas personæ in gradu suo distinguerentur. Quare in ecclesiis præsertim Cathedralibus factum est ut distinguerentur Dignitates, Personatus, Officia. — Dignitas juxta canones nihil aliud erat nisi beneficium quod adnexam habebat aliquam jurisdictionem et aliquam præminentiam honoris. Personatus erat beneficium cui solummodo honoris prærogativa adnexa erat, vi cujus persona inter alios clericos præcedentiam et honorem obtinebat. Officium autem nihil aliud erat nisi beneficium quod adnexam habebat aliquam administrationem sine honoris prærogativa et sine jurisdictione, quemadmodum antiquitus erat Sacrista et post Tridentinum sunt Canonicus Theologus et Canonicus Pœnitentiarius.

Jure Decretalium dignitates erant Archidiaconatus et Archipresbyteratus; personatus erat Primiceriatus; officium autem habebant Sacrista et Custos. Jure autem Tridentino Præbenda etiam theologalis et Præbenda pœnitentialis officium constituunt. — Sit primo loco:

3. De dignitate Archidiaconatus. — Archidiaconus erat vera dignitas in Ecclesia; nam habebat jurisdictionem in Ecclesia et Vicarius natus censebatur ipsius Episcopi. Ita *cap. 1. h. t.* — Habebat insuper administrationem præsertim relate ad politiam externam clericorum, nec non relate ad bona Ecclesiæ; immo ubi nondum facta erat divisio præbendarum, sed in communi erant bona patrimonii diocesanii, Archidiaconus administrationi patrimonii hujusmodi præerat. Conferri possunt *cap. 2. et 3. h. t.* — Archidiaconus habebat etiam præminentiam honoris. Licet enim Archipresbyter primum locum teneret inter reliquos Clericos Dioceseos, tamen Archidiaconus præminentiam habebat ante ipsum Archipresbyterum. *Cap. 1. De Offic. Archipr.*

4. Ut autem materia tituli intelligatur et vetus et nova disciplina cognoscatur, per capita distinguenda sunt jura et officia Archidiaconi. Et 1<sup>o</sup>. juxta Decretales Archidiaconus erat Vicarius generalis

natus simulque perpetuus Episcopi: hinc in Canonibus appellatur etiam 'oculus' Episcopi. Igitur habebat ipse proprium tribunal eo quod in eo residebat iurisdictio ordinaria et perpetua; hinc a sententia Archidiaconi appellari poterat ad Episcopum. Ex quibus patet ex duplici capite differre ab officio hodierni Vicarii Generalis; nam a) Vicarius Generalis non est perpetuus, sed officium ejus totum pendet a voluntate Episcopi illum deputantis; b) tribunal Vicarii Generalis censetur idem esse ac tribunal Episcopi; hinc non datur appellatio a sententia Vicarii Generalis ad Episcopum. Verum Archidiaconus non poterat in suo tribunali videre et decernere non nisi causas minores; causæ enim arduæ ad Episcopi tribunal reservabantur: ita in *c. 7. h. t.* Quare sine licentia Episcopi non poterat deponere clericos, ecclesias unire aut dividere; *can. ult. c. 15. q. 7.* Non poterat Archidiaconus videre et decernere causas matrimoniales, nec pariter causas criminales Clericorum, neque causas concubinitatis eorundem, quæ omnes causæ Episcopo reservantur a Tridentino *sess. 24. c. 20. et sess. 25. c. 14. de Ref.* Non poterat Archidiaconus de jure communi sententiam ferre suspensionis interdicti, et excommunicationis *c. 5. h. t.*; secus vero accedente auctoritate Episcopi aut consuetudine *Gloss. in id. c. 5. h. t.* nec tandem iurisditionem exercere in monasteria etiam non exempta nisi quando id obtinebat ex consuetudine legitime præscripta *c. ult. h. t.*

2º. Archidiaconus curam et diligentiam exercebat super vita et conversatione Clericorum, necnon circa eorundem literariam instructionem, ita ut Episcopo interroganti tenebatur respondere ex scientia propria de idoneitate personarum quæ ad sacros Ordines promoveri desiderabant *capp. 7. et 9. h. t. et cap. un. De Scrutin. in Ordin. fac.* Verum hujusmodi examen circa idoneitatem et scientiam promovendorum ad Ordines Tridentinum reservavit Episcopis *c. 7. sess. 23. de Ref.* in quo statuit: Episcopum examen ordinandorum instituere debere adhibitis etiam secum sacerdotibus sapientibus et prudentibus. Hinc interrogatio proposita Archidiacono in ordinatione ministrorum nihil aliud est hodierno jure, quam pars ecclesiasticæ liturgiæ.

3º. Episcopo impedito, quolibet triennio Archidiaconus erat a jure destinatus ad visitandam totam Diocesim *c. 1. h. t. in fin.* Poterat item Archidiaconus quolibet anno visitare ecclesias sui Archidiaconatus *c. 6. h. t.* Hac tamen in re animadvertendum est ex

Tridentino in *c. 3. sess. 24. de Ref.* immutatam fuisse disciplinam; siquidem Tridentinum statuit ut solummodo in locis in quibus ad est consuetudo possit Archidiaconus sui Archidiaconatus ecclesias quolibet anno visitare, adhibito notario de consensu Episcopi; adjecta tamen obligatione reddendi Episcopo intra mensem rationem peractæ visitationis.

4º. Archidiaconus erat qui de licentia Episcopi immittebat novos Canonicos et Beneficiatos Ecclesiæ in corporalem beneficii possessionem *c. 4. et 7. h. t.* Tandem Archidiaconus erat qui Episcopo ministrare poterat dum solemniter in Ecclesia perageret, quique perlegere poterat Evangelium, et primum locum tenere post Episcopum in Ecclesia.

5. Dignitas hujusmodi Archidiaconorum et magna potestas quam ex jure habebant Archidiaconi causa fuit ut intumescerent quodammodo et ipsis Episcopis molestias crearent. Quare factum est ut ad compescendos abusus Conc. Lateranense IV. speciali dispositione relata in *c. 14. De Off. Jud. Ordin.* concesserit Episcopis facultatem sibi eligendi Vicarium generalem distinctum a persona Archidiaconi. Sensim autem sine sensu factum est etiam ut Archidiaconi alia jura amitterent, et quemadmodum notat *Glos. in c. 2. de Exces. Prælat. v. Consuetudines* inductum est ut officia et jura Archidiaconatus regerentur consuetudine potius locorum quam jure communi. Hinc tandem inductum est ut consuetudine pæne universali Archidiaconatus non amplius dignitas in sensu stricto dici possit, sed solummodo personatus.

#### TITULUS XXIV.

### De officio Archipresbyteri.

1. Archipresbyter, qui et Decanus dicitur, idem est ac princeps presbyterorum, id est primus inter presbyteros eisque imperat in iis quæ sunt sacerdotalis officii, necnon peculiarem habet ministerii sacri administrationem. Si quæraturo vero in quo differant Archipresbyteratus et Archidiaconatus, respondent auctores in eo differre ut Archidiaconus sit Vicarius Episcopi in externa politia et in temporalibus, Archipresbyter in spiritualibus: id est clarius Archidiaconus repræsentat Episcopum præcipue in politia Dioceseos in foro judiciali et in administratione bonorum temporalium Ecclesiæ; Archipresbyter autem in foro pœnitentia, in admini-